



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Titulus I. De modo facilè addiscendi dictam recitationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

P A R S I.

DE FUNDAMENTIS AD
OFFICII DIVINI RECITA-
TIONEM NECESSARIIS.

TITULUS I.

DE MODO FACILE ADDISCENDI
DICTAM RECITATIONEM.

I. **N**on facile differat futurus Sacerdos laborem hunc addiscendi recitationem Divini Officij usque ad tempus proximum, quo Sacros Ordines suscepturus est, sed aliquot mensibus prius se ab aliquo perito instrui curet, ut inter hoc tempus se aliquoties sine periculo peccati & culpabilis erroris exercere, habitumque & dexteritatem in eo recitando comparare possit.

II. Dum actu se ad discendum applicat, ante omnia integrum Breviarium obiter percurrat, & quæ Officia, Lectiones, aut Psalmi quovis loco notentur, accuratè dispiciat, ut, ubi opus fuerit, omnia facili labore invenire queat. Reperiet autem in octo potissimum partes totum Breviarium dividi posse, quarum 1. Calendarium. 2. Rubricas. 3. Tabulas Occurrentiæ & Concurrentiæ. 4. Psalterium. 5. Proprium de Tempore. 6. Proprium Sanctorum. 7. Commune Sanctorum. 8. Officium B. Virginis, Defunctorum, Psalmos Pœnitentiales, & Graduales, Ordinem commendationis Animæ, Benedictionem mensæ, Itinerarium, & similia, quæ vel interdum Officio Divino publicè conjunguntur, vel certè aliàs ad manum Sacerdotibus esse debent, continet.

III. Ubi hanc Breviarij notitiam acquisierit, differentias Festorum & Feriarum bene cognoscere studeat, quem in finem ea, quæ sequenti Titulo dicentur, ei servire poterunt.

IV. Post hæc usum binarum tabularum de Occurrentia & Concurrentia Festorum addiscat; cum enim Festa Patronorum, Dedicacionis, aliâque in Directorijs non expres-

Instruēt. II.

A

sa,

ARS

fa, in propria sua Parochia celebrare Sacerdos debeat, in his autem casibus dictæ tabulæ clarè ostendant, quomodo Officium ordinare oporteat, meritò earū praxis & cognitio valde necessaria ducitur illi, qui erroris periculo expositus esse nolit. Porro hunc usum ex accurata Lectione instructionis tabulis illis præfixæ, aut levi manuductione Instructoris faciliè addiscet.

V. His peractis incipiat ab Officio faciliori, in quo pauca vel nullæ commemorationes faciendæ sunt, quale v.g. est Duplex, & in hoc essentialia Officij Divini addiscere studeat, id quod non difficulter ex titulis totius hujus Instructionis perlectis consequetur, nam eodem profus ordine, quo Officium Divinum recitari debet, sunt positi, & simul, quando & quomodo quævis pars dici debeat, succinctè est indicatum.

VI. A Duplici ad Semiduplicia & Simplicia progrediatur, videatque, quid in his minùs aut plùs dici debeat. Quod ut faciliùs consequatur, firmiùsque memoriæ imprimat, non parùm proderit, si singulis diebus videat, quale Officium sit dicendum, & si recitare integrum non vacet, saltem apud se examinet, quomodo illud ordinare vellet, dicendo v. g. jam recitarem Pater & Ave, hos Hymnos, Antiphonas, Psalmos, &c. Pari modo seipsum quandoque interroget, quomodo, si hodie Officium Simplex de Martyre v.g. dicendum foret, illud ordinare vellet; aut quomodo illud disponere, si de Duplici Virginis, Feria, aut de B. Virgine in Sabbato Officium recitare deberet, quo quidem in examine expediret Instructorem habere, cui coràm horum omnium dispositio indicaretur, ut, si qui intervenirent errores, corrigere possit.

VII. Tandem ubi hæc omnia didicerit, ut magis de scientiæ suæ sufficientia & soliditate certus reddatur, poterit ipsas Rubricas perlegere, & in illis tanquam in amussi perspicere, num exactè singulas leges in iisdem præscriptas observet.

* *
* *

TITU